

Siegesbeckii Hortus petropolitanus prodiit, Ludwigi characteres generici similiter, utrosque forte vidisti.

Exoptaveram hac æstate vestras Floras salutare, sed obrutus aliis negotiis vix potero, meque revocant in patriam fata varia.

Si me tuis literis dignum judicaveris, quæso me certiore facias de progressu fratris vestri in Peru,* ejusque reditu; si redierit felix, quod opto summopere, sique plurima specimina secum duceret exsiccata, utinam, datis amicis, si quæ superessent et mihi, si ejus gratia concederet, aliquot remitteret; reddam quæ potero alpinas, lapponicas, suecicas, norvegicas. Spero me etiam vastam obtenturum plantarum copiam a medico quodam nomine Bartsch,† Botanico certe industrio, qui prope diem petat Surinamam et occupabit medici publici officium, mihi oblatum, sed ipsi relictum.

Vale, vivasque diu, me ama.

Dabam ex Museo Cliffortiano 1737. Jul. 26.

* Hicce, de quo toties in epistolis sequentibus mentio, JOSEPHUS Antonii Bernardique frater natu minor, Peruviam anno 1735 petierat, astronomis Academiæ Regiæ Parisiensis adjunctus. Dux expeditionis academicæ celeb. LaCondamine post decem tantum annos patriam regressus est; sed non J. de Jussieu qui, primum cupiditate vastam, vix cognitam perviamque regionem investigandi, postea Peruvianorum medici periti in epidemiâ egentium discessumque ipsius prohibentium fiducia nimium honorificâ, denique serius vi consuetudinis detentus, non nisi post triginta et sex annos (1771), ideoque vitâ tum fratris Bernardi tum Linnæi jam ad ultimum terminum vergente, Galliam revisit; sed valetudine nimis laboribus curisque exhaustâ, ante ætatem senior nec rationis jam compos. Josephi ad fratres epistolæ variæque in itinere adnotatæ observationes manuscriptæ, tabulæque, sive botanicæ sive geographicæ, delineatæ quæ supersunt, doctrinam variam solidamque testantur multaque ab ipso visa et collecta fuisse. Sed pleraque et diversis neque hic enarrandis casibus, et præsertim hæc ultimâ maximâque mentis amissæ miserâ perierant, et pars tantum minima servari potuit herbarii Peruviani, de quo tanta spes et cupiditas sæpius a Linnæo expressa.

† De quo sequentia in Florâ Suecicâ (p. 186) leguntur: "*Bartsiam dixi a Joanne BARTSCHIO, Regiomontano, medicinæ doctore, juvene pulcherrimo, candidissimo, et certe doctissimo ac nationis suæ ornameto. Contractâ cum viro intimâ amicitâ in Belgio, cum inextinguibili plantarum insectorumque ardore infeci, adeo ut in rimandis plantarum partibus iisdemque acutissime describendis paucos superiores habuerit. Vacuo munere medici ordinarii Societatis Belgicæ Indiæ Occidentalis, Surinamæ, me elegit divus Boerhaavius; cum autem recusarem torridas inhabitare zonas, sub arctoo ipse natus et educatus, mihi concessit beatus vir ad hoc munus vocare quemcumque vellem; arrisit hoc integerrimo amico Bartschio, plantarum solâ causâ, commendatur apud Boerhaavium, recipitur, et Surinamas petit; ubi nescio quo gubernatoris Surinamæ odio et malitiâ, nunquam ipsi lata concessa hora, hinc tedio, invidiâ, pauperie, æstu, post dimidium annum obiit, meliori fato, si quis alius, dignissimus vir. Qualis fuit hic vir docet Dissertatio de Calore, doccunt literæ ad me Surinamâ missæ, plenæ plantarum observationibus curiosissimis.*"